

98

Est apographum eorum quae sub num. 50. in hoc
volumine inveniuntur, manu Chron. Frid. Börsi,
quondam Theol. Prof. P. O. in acad. Lips. descriptum.

Nihil in alterutra parte exaggerabo. Nihil ullius factionis studio
aut odio dicam, sed simpliciter recitabo meam sententiam, et iudicium
permitto omnibus viris doctis et piis in Academijs Rostochiana
& Friswaderensi, et in Ecclesijs Hamburgensi, Lubecensi, Luncburgensi & Brunsvicensi.

Filius Dei sedens ad dextram aeterni patris, dat dona hominibus,
alios quidem prophetas, alios apostolos, alios euangelistas, alios
pastores, alios doctores &c. Hunc agnoscimus servare Ecclesiam,
et ei gratias agamus, et eius beneficium reverenter fruamur.
Hic protulit ex sinu aeterni Patris Evangelium, hic ministerium
Evangelicum instituit, et doctores misit et mittit. Ro. X
Quomodo praedicabunt, nisi missi fuerint. Mittit autem
vel vocatos sua voce immediate, vel vocatos per Ecclesiam
aut personas certas nomine Ecclesiae. De illa missione
seu vocatione, qua immediate mittit doctores, sicut Pro-
pheta et Apostoli ^{mittuntur} missi sunt, non dispiciamus. Talis missio
singulare et excellens beneficium Dei est, quo subinde
restituit Ecclesiam, et sic missis addit testimonia, miracula,
et modi missionis fuerunt et sunt multiplices. Et
sepe addit hominum testimonia, ut Summus sacerdos
Ei scilicet Samuelum vocari divinitus. Paulum sciunt
vocari collegas, qui sunt vna Antiochiae, quibus dicitur:
Segregate mihi Barnabam et Saulum ad opus ministerii,
ad quod segregavi eos. Actuum 13. Vult Deus conspici
testimonia, ut et ipsi docentes, et Ecclesiae sint certa de
vocatione et de doctrina. Haec missio seu vocatio
immediata est simul ordinatio talium personarum. Et
Deus addit unctionem. Filius unctus ab aeterno patre,
ceteros ungit et sacerdotes facit. Sicut dicitur de Filio:
Spiritus Domini super me, eoq; unxit me. Et Psalm. 43.
Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laticiae, propter
confortes tuos. Et in lege, typi fuerunt huius unctionis.

Ingens beneficium Dei est, et lus vocationis mediata,
quod videlicet Deus regulariter vult voce Ecclesiae
vocari homines ad ministerium Evangelicum, et confir-
mat ministerium efficax esse, etiam cum tales vocati
mediate per Ecclesiam eo funguntur. Hoc beneficium
agnosci et intelligi in Ecclesia necesse est.